

NALDI (Naldo)

CARMINA VARIA (1241 vers)

## DISTICHON IN ALBIERAM ALBITIAM

C\_1 v.1 Quid, pater, arreptam graviter gemis, optime, natam ?  
2 In mortam pietas me juvat ista nihil.

## ALIUD IN EANDEM

C\_2 v.1 Non ego sum tumulo, pater, hoc Alberia parvo  
2 condita, sed supera viso pudica domos.

PETRO MEDICI - SERVATORI PATRIAE AC COSMI PATRIS PATRIAE FILIO  
NALDUS DE NALDIS SALUTEM DICIT

C\_3 v.1 Aurea Saturno quondam sub rege fuerunt  
2 saecula, dum Latio mansit in orbe deus,  
3 sponte sua fruges tunc cum dabat optima tellus,  
4 nectare cum mixtas Tibris habebat aquas.  
5 Post, ubi Saturnus superas migravit in oras,  
6 sub Jove sunt fraudis semina jacta novi,  
7 ut bona quae fuerant prisco celebrata parente  
8 tempora sub nato deteriora forent.  
9 At modo fit contra : nam si pius aurea Cosmus  
10 saecula divina condidit arte pater,  
11 plura tamen veteris restarunt semina fraudis  
12 insita pectoribus quae latuere malis.  
13 At Petrus ut vidit tam diri seminis herbas  
14 surgere, dum nimium crescit iniqua seges,  
15 protinus exstirpat lolium quodcumque videbat  
16 frugibus infelix posse nocere bonis.  
17 Sic tibi dent faciles longissima tempora Parcae,  
18 sic tribuant vitae fila secunda tuae.  
19 Sic, Petre, sic videas divina sorte nepotes  
20 in longum populi frena tenere sui,  
21 ut modo quo fuerant vepres nascetur amomum,  
22 et violae quo nunc carduus asper erat,  
23 ut modo quae Tuscos late spatietur in agros  
24 de petra Medicum nectaris unda fluet,

25 ut modo sponte sua nullo monitore per aevum  
26 te duce mortales jusque piunque colent.

CARMEN - AD ILLUSTRISSIMUM ATQUE EXCELLENTISSIMUM DUCEM  
FEDERICUM URBINATEM

C\_4 v.1 Jus fecisse satis, Dux, hoc errore videmur,  
2 deprensus paulo qui fuit ante mihi :  
3 cernitur hinc nostri signum quid majus amoris,  
4 in te conspicitur major, amice, fides,  
5 cum neque sim veritus quicquam dum forte putarim,  
6 quae tibi non quadrent, haec fore digna Lini.  
7 Forsitan hac etiam fuerim modo parte secutus  
8 judicium sapiens, vir memorande, tuum,  
9 fit mihi quod tanti quanti vel Apollinis antrum,  
10 vatibus unde solet fundere verba deus :  
11 sic fecisse minus fuerat mihi jure fatendum  
12 non nihil errantem, Dux, nisi, magne, prius.

ELEGIA - AD LUDOVICUM CARDINALEM AC PATRIARCHAM

C\_5 v.1 Haec tibi de multis pavidio conscripsimus ore,  
2 pauca, sed ingenti digna futura fide :  
3 nam modo censuram tanti mea Musa veretur  
4 judicis ut Clario missa videnda deo ;  
5 at mihi si pavidos pelles de corde timores  
6 et dederis dubiae vela secunda rati,  
7 tunc et plura gravi non aspernanda cothurno  
8 audebo numeris inseruisse novis.

CARMEN DE VIRTUTE - AD COSMUM MEDICEN

C\_6A v.1 Cum, Tusci patres et Florentina juvenus,  
2 temporibus videam multa notanda meis,  
3 sic Nemesis vitii paene exsuperantis honesta  
4 me movet hoc ipsum ne tolerare queam.  
5 Nam, cum summus amor summae hunc virtutis haberet  
6 qui sua tam nobis scripta severa dedit,  
7 cogor ut ardores satyri (quibus acer in omnes  
8 invectus juste torquet agitque malos)  
9 nunc imiter, vires quantum mihi ferre valebunt  
10 et dabit ingenii vis quoque parva mei.  
11 Hinc ego principio quae sunt dicenda sub ipso  
12 more mihi insolito versibus ista dabo ;  
13 siquid ut ardoris cepit Juvenalis ab ipsis  
14 carminibus quibus est usus in omne genus  
15 et quibus est alacer factus magis, ut bonus inde  
16 acrius exagitat quae vitiosa putat,  
17 sic, dum flagitio quae sunt commissa nefando

18           insequar atque bonos dum super astra feram,  
 19 non nihil accendar numeris, quibus utar ut acri  
 20           mente magis valeam verba referre mea.

C\_6B   v.1   Consuevere quidem verbis gravioribus illud  
 2       exagitare malum quo mens animusque laborant  
 3       et procul a nobis remove salubriter, ut nos  
 4       purgati tandem vitio careamus iniquo.  
 5       Sic, ubi pulsa satis contraria prorsus honesto,  
 6       inde replent animos nostros virtute magistra ;  
 7       namque nefas, quicquid purum est, temerarie ullo  
 8       impurum quod erit, sicuti veneranda Platonis  
 9       divini praecepta monent ; ita rursus id ipsum  
 10      quod reor esse malum prius exstirpare putabo,  
 11      dum referam vitio quae dira creantur ab ipso ;  
 12      post mihi siqua satis dabitur bene posse facultas,  
 13      dicere temptabo sacros virtutis amores,  
 14      nos quibus accensi fugiamus iniqua libenter  
 15      et bona quae fuerint duce sic virtute sequamur,  
 16      simus ut exemplo his non tantum vita tenet quos,  
 17      sed qui post venient nostri memorentur honores.  
 18      Nam magis optandum quid sit quam pectus, ab omni  
 19      sepositum vitio, morsu viventis edaci  
 20      invidiae caruisse, quod est ea causa malorum  
 21      summorum meditans aliquid grave semper in omnes ?  
 22      Illa vel integros populos deducit in arma ;  
 23      saepius inter se luctantur fortiter idem  
 24      caedibus adversis : nam sanguine pascitur atro ;  
 25      destruit haec urbes socias regesque propinquos  
 26      vulneribus crudis, ac, lubrica pectore serpens,  
 27      inficit, heu, diro sic turgida corda veneno,  
 28      acriter extincto de regno ut pugnet amore  
 29      invidus, inde sacros ausus temerare Penates,  
 30      ausus et inde manus venerando inferre parenti.  
 31      Testis erit quondam Cretae qui regna tenebat  
 32      Saturnusque senex, nato depulsus iniquo  
 33      hic, ubi sunt urbes centum, sunt ubera terrae  
 34      pinguia ; namque patrem graviter sic saevit in ipsum  
 35      natus, ut imperium summo rapuisse parenti  
 36      non dubitaret, inops rationis iniqua vetantis,  
 37      impious atque manus in viscera ferre paterna,  
 38      isset in Italiam fugiens nisi, qua sacer albo  
 39      vertice, qua Tuscus leni fluit agmine Tibris.  
 40      Invidia gravius non invenisse feruntur  
 41      tormentum, quicumque genus meditantur acerbum  
 42      poenarum, [saevi] Siculi quicumque fuere tyranni.  
 43      Haec consanguineos audet scelerare, nec ipsis  
 44      fratribus haec parcit ; graditur per templa deorum,  
 45      saeva, nec abstinuit caedes agitare nefandas,  
 46      dum pia vota deo fierent, aut sacra per aedem  
 47      dum celebrarentur sacram faceretque sacerdos  
 48      verba quibus summa revocaret ab arce Tonantem  
 49      in terras actumque aris libaret honorem.  
 50      At male quam peccant animo qui semper avaro  
 51      abstinuere suis rebus, fecere nec ullis  
 52      inde viris partem licet usque petentibus aequam !

53 Dicere fert animus quisnam tam sufferat istas  
54 tristis avaritiae sortesque manusque rapaces  
55 in genus humanum, quales nec dira Celaeno  
56 dicitur aut Strophades quondam tenuisse sorores,  
57 tempore quo dapibus Phrygiis nocuere volantes  
58 sedibus ex illis quibus hae latuisse feruntur,  
59 Clausa domus prior est postquam, mensasque nefandas  
60 deseruere (malis hominum nam gaudet acerbis  
61 quaelibet, ac manibus miseros circumvolat uncis).  
62 Hac infecta domus nimium sordescit habendo  
63 omnis ; et ingeniis hominum nocet improba, sordes  
64 fert quod iniqua graves illis qui parcere parto  
65 constituere viri suaves neque tangere mensas.  
66 Haec imbuta malis animum corpusque venenis  
67 inficit, atque viris languentia pectora reddit.  
68 Haec tenet, haec, auri studium quoque semper habendi  
69 quod nemo sapiens umquam cupit ipse, nec ulli  
70 persuadere parat velit exitiale subire  
71 munus, et est omni quod tempore triste futurum  
72 omnibus. Ad quid non hominum fera corda subornas,  
73 auri saevus amor ? Spoliis gaudere propinqui  
74 instruis, atque manus maculare in sanguine diras  
75 illius, est fidei qui credidit omne tuae sic,  
76 nullus ut huic sortis possit nocuisse malignae  
77 impetus, aut possint Trojae mala fata cremandae  
78 invertisse fidem Polymestoris, unde futura  
79 certa salus puero foret exspectanda misello.  
80 Sed quantum spes falsa quidem mortalia vexat  
81 pectora ! Seu contra quam quis putat illa resultat !  
82 Perfidus ille et enim, postquam ultima fata tulere  
83 Trojanos, juvenem clam ferro obtruncat, ut auro  
84 vi potiatur eo secum quod vexerat olim  
85 tum Polydorus, ubi sortis putat usque malignae  
86 vitavisse vices ; sed amor sceleratus habendi  
87 omnia perrumpit sanctissima jura : nec ulli  
88 parcit, et est saevis crudelior usque tyrannis.  
89 Ille facit patres rebus sic parcere partis  
90 ut nati pereantque fame pereantque maligno  
91 victu, neve domus possit superesse, quod illis  
92 deficiat suavem valeant quo ducere vitam.  
93 Sed privata quid haec memoro ? Respublica certe,  
94 Hoc evicta malo, ruit in letabile vulnus  
95 et ruit atque boni quod habet male perdit, et omnes  
96 rursus opes quibus haec fuerat ditata relinquit,  
97 imperioque caret quo maxima quaeque solebat  
98 vertere, quo diros poterat domitare tyrannos  
99 et quicquid lati cunctis viget orbis in oris.  
100 Ut reliquos taceam, docet hoc Romana propago  
101 motus avaritiae quantum valet acer in omnes.  
102 Nam peragenda licet multa vi bella subiret  
103 externasque gravi superaret robore gentes,  
104 viribus illa tamen postquam sic aucta fuisset  
105 ut sua jam possent in viscera vertere ferrum,  
106 Romani inter se civilia bella moventes  
107 haec ob avaritiam miseri gessere nefandam,  
108 quilibet hinc plures ut opes cumularet habendas

109 et data cuique foret ditandi copia major  
110 et gravis argenti sitis expleretur et auri.  
111 Hinc male res est gesta domi, foris atque fuisse  
112 dicitur ; hinc Tomyris Crassum male multat, ut ille  
113 praemia digna ferat : cupienti plurima victrix  
114 plura quoque ingessit, liquidumque per ora metallum  
115 fudit et ignito fera viscera torruit auro,  
116 ut quod avarus egens noctesque diesque cupisset  
117 intra se Crassus cupido retineret in alvo.  
118 Singula quid refero ? Tot sunt inventa per urbem  
119 pectora tam diro cupiendi infecta veneno  
120 Romuleam, tenuit tot amor sceleratus habendi,  
121 barbarus ut cum jam victusque Jugurtha subiret  
122 moenia Romulidum Latioque recederet orbe  
123 versus in urbanas moles oculosque retorquens  
124 diceret : "Urbs o quam primum peritura ! ", quod illic  
125 publica cuncta forent venalia, quisque quod illic  
126 auri captus erat saevaue cupidine civis.  
127 Sed, licet ista quidem quae diximus omnia late  
128 publica pessum dent rectis contraria votis,  
129 non minus ipsa tamen respublica laeditur hac quae  
130 sic mentes hominum pervertit - taetra libido  
131 corporis - , obmissa quae sic ratione facessit  
132 omnia, nil recti gerat ut neque nominis aequi  
133 ista quod exitium magnum ferat omnibus illis  
134 qui dicunt : "Nihil est melius quam blanda voluptas ! "  
135 Et faciunt etiam quicquid jubet illa libenter.  
136 Haec prius, haec, animum movet alta e sede, nec ipsum,  
137 heu, sinit egregium quicquam meditarier usquam,  
138 sed furit assidue saevaue libidine fertur.  
139 Corpora quin etiam consumit et acriter urget  
140 haustibus assiduis in apertas undique mortes ;  
141 nam nihil est gravius miseros quod adurat amantes  
142 quam Venus, et caeci stimulos admittere amoris.  
143 Adde quod hic sacrae non religionis honore  
144 tangitur, atque focos sacros contemnit et aras  
145 qui putret in Venerem, Veneris male concitus oestro,  
146 oblitus decorisque sui, miser, atque salutis,  
147 oblitusque sacri quodcumque reponitur aris.  
148 Quid referam poenas quantoque dolore laborent  
149 qui Veneri indulgent, fibris ut et ulla renatis  
150 non datur inde quies, jecur immortale quod illis  
151 roditur, et miseros vultur depascitur artus ?  
152 Haec facit addictos Veneri rationis egentes,  
153 neve domus tantum ruit hac privata, sed ipsae  
154 urbes inde cadunt : subit inlaetabile vulnus.  
155 Inde Phrygum moles rapidoque cremantur ab igne  
156 moenia Dardanidum, tantique incendia belli  
157 femina sola dedit, veluti decantat Homerus.  
158 Namque Paris saeva turpique libidine captus,  
159 perdat ut inde suos ac se patriamque suamque,  
160 Ledaeam rapiens Helenam satiavit amorem,  
161 perditus, hospitiique sacros violavit honores.  
162 Aspice quanta paras patriae mala, turpis adulter,  
163 quamque nocet Phrygibus Trojaeque Penatibus ! In te  
164 Graecia tota ruet ! Surgit grave laesus Atrides,

165 pluribus ac verbis agit in fera bella Pelasgos !  
 166 Improbe, quid facies ? Justa ratione moventur  
 167 jureque te contra pugnant. Deus aequus honestae  
 168 usque favet causae, causamque relinquit iniquam.  
 169 Nec mora : jam Teucris longa obsidione tenentur  
 170 ut gravius pereant. Hinc fracti viribus omnes  
 171 sunt ubi, sunt et opes fractae, Trojana juvenus  
 172 fessa ruit, postquam fortis ruit Hector et ipsum  
 173 deseruit moriens Priamum Phrygiosque Penates.  
 174 Denique tum patriae vidisti incendia lapsae  
 175 vidistique capi matrem caraque sorores,  
 176 Cassandramque trahi templis adytisque Minervae,  
 177 crinibus, heu, sparsis in caelum lumina tendens,  
 178 expetat a superis ut opem captiva : sed illis  
 179 cunctis Juno tibi placidas gravis obstruit aures.  
 180 Ipsa dies me deficiat si cuncta referre  
 181 pessima nunc statuam dederit quae blanda voluptas  
 182 quaeve det assidue, dabit et mortalibus aegris  
 183 ni ferat auxilium praesto sapientia nobis  
 184 ad quodcumque malum tristissima fata minantur.  
 185 Nam modo si vitium volumus vitare nefandum,  
 186 est opus ut nobis sapientia cuncta ministret.  
 187 Sic aderit virtus subito concessa deorum  
 188 munere ; stultitia dabitur caruisse potestas,  
 189 quae mala cuncta gerit : dabitur caruisse, quod omne  
 190 possidet egregium, quod habet sapientia primum.  
 191 Hanc tibi divini poterit nova Musa Platonis,  
 192 hanc tibi Socraticae poterunt praestare Camenae  
 193 partibus ex cunctis, nihil ut jam desit eorum  
 194 quae tibi, quae vitam valeant fecisse beatam.  
 195 Hanc ubi purgatis animis habuisse licebit  
 196 a gravibus vitiis, hic nos quae surgere regna  
 197 cernemus, quale imperium, quantumve futurum !  
 198 Quare agite, o juvenes, vestras huc vertite mentes !  
 199 Ne dubitate fidem verbis adhibere quibus me  
 200 edocet his patribus ducibus modo noster Apollo,  
 201 quo dicente nihil fallit, nihil intrat in aures  
 202 quod non sit verum, quod non sit et ore notandum  
 203 Pierio deus hoc non verior alter habetur  
 204 utque pii vates priscique dedere poetae.  
 205 Sic vitandorum virtus tot causa malorum,  
 206 en, erit ; hac duce nos vitio purgabimur omni,  
 207 cujus forma nitet tantum, tantumque decoris  
 208 continet ore suo, tantumque refulget in omnes,  
 209 ut, si nos oculis spectare tuentibus illam  
 210 possemus facie, seu quam formosa videtur,  
 211 in nobis miros sapiendi gignat amores,  
 212 nutriat igniculos dat quos Natura Creatrix  
 213 cuique viro primum subeunti lumen ab ortu  
 214 nascentis vitae ; quos si bene vertat in usum  
 215 vivendi recte, sapiens erit ille futurus,  
 216 sic, queat ut verbis homines quoque dulcibus acres  
 217 ac ritu solitos vitam duxisse ferarum.  
 218 In coetus revocare novos, urbesque vel unus  
 219 condere quas habitent, quibus ille suasit honestum  
 220 esse quod et gravibus praeferre laboribus omnes

221 debent, assuetaeque diu fera commoda vitae  
 222 spernere, quo legesque velint et jura tueri,  
 223 quo vires domuisse suas patiantur, ut inde,  
 224 quicquid erit sanctum justumque, libenter id ipsum  
 225 amplecti potius cupiant potiusque sequantur.  
 226 Quas urbes ubi condiderit, pia jura vir idem  
 227 constituet templumque sacrum sanctumque Senatum  
 228 omnibus, ac ponet mores legesque tuendas  
 229 et moderator erit populi praecepta sequentis  
 230 optima ; quem matresque virique sequentur ovantes,  
 231 dum pia sacra focusque feret, celebrabit et idem  
 232 quicquid erit casta pro religione gerendum,  
 233 non aliter quam cum sunt Orphea rite secuti  
 234 egressique lupi silvis leporesque fugaces,  
 235 mulcentem pariter fidibus lapidesque ferasque.  
 236 Inde bonas itidem sapiens invenerit artes :  
 237 nutriet inventas ; idem dabit optima cunctis  
 238 et mandata viris, quibus inde jubebit eisdem  
 239 in virtute bonum meditentur ut esse vel omne  
 240 ponendum, tauro ignito licet ille cremetur  
 241 quem tenet aut virtus aut cum virtute facessit  
 242 quaelibet. Illa potest hominem praestare beatum,  
 243 sola potest et opes regum superare vel omnes  
 244 Persarum, quamvis auri metalla caventur  
 245 illic plura, lapis quamvis pretiosior auro  
 246 illic inventus jam sit quoque multus, et aurum  
 247 flumina multa quidem referant tribuantque relatum.  
 248 Hac duce rex Macedum Persas domitavit et Indos ;  
 249 hac duce sunt rerum satis imperioque potiti  
 250 orbis Romulidae : nam dum virtutis honores  
 251 amplectuntur erant domini toto orbe timendi.  
 252 Hinc sibi parentes populos fecere, vel omnes  
 253 externas duris gentes domuere sub armis,  
 254 nullus ut exstiterit tam saevus in orbe tyrannus  
 255 qui vires non, Roma, tuas trepidaret et acri  
 256 imperio parens tua jussa facesseret ac te  
 257 esset uti dominam summo veneratus honore.  
 258 Salve, magna parens pariter rerumque bonarum,  
 259 expultrix eadem vitiorum maxima, salve !  
 260 Salve, virtutis sapientia mater alumnae !  
 261 Ut prisca quondam, tibi templa dicamus, et aras,  
 262 ponimus atque sacras epulas : te namque magistra  
 263 exuerint silvestrem animum quicumque feroces  
 264 ante fuere viri, mitisque acceptus eisdem  
 265 est habitus, valeant quo sacra resumere jura  
 266 urbibus in mediis, valeant meditarier artes  
 267 usque bonas, quibus aequae nos patriamque domumque  
 268 temporibus, diris bene composuisse queamus.  
 269 Gaudia quanta manent illos, quantamque subibunt  
 270 laetitiam, qui sponte sua pejora relinquent,  
 271 deteriora sequi nolent, at semper ad illa  
 272 convertent animum quibus, utiliora secutus,  
 273 sic mentem vitamque suam componet honesto  
 274 quilibet, ut quae sunt mala dira repellere possit,  
 275 possit et ut vitium sic exstirpasse malignum,  
 276 ut mens ipsa quidem sit candida facta nec ulla

277 admittat maculas ! Quam laetus et ille futurus  
 278 rursus erit, natosque suos suavesque nepotes  
 279 qui bene componet, famulos, propriosque Penates,  
 280 qui vero patriamque suam patriosque Laresque  
 281 sic reget imperiisque bonis ac legibus aequis  
 282 ut vires tandem latum diffundat in orbem !  
 283 Non memorare queam quam praemia certa dabuntur  
 284 cuique bono civi patriam qui temperat aequo  
 285 jure, nec in sese male publica quaeque retorsit  
 286 munera, verum adeo patriae studuisse videtur,  
 287 pro illa ut statuat suavem deponere vitam,  
 288 si sit opus ; nam non tantum sibi magna parantur  
 289 praemia dum vivit, sed mox, ubi vita recessit,  
 290 hinc locus in caelo datus est super astra supremus,  
 291 sedibus hic ubi perpetuis aevoque fruatur.  
 292 Ergo jussa pius quae tradit Apollo sequamur,  
 293 et praecepta dei capiamus honesta monentis,  
 294 praesertim cum sit dux optimus, optima cuique  
 295 tempus in omne ferens, patrias qui temperat urbes  
 296 sic virtute nova sapiens, sic cuncta gubernat  
 297 publica tam gravibus monitis, tam legibus aequis,  
 298 ut queat hinc omnes tandem fecisse beatos.  
 299 Te duce nam, Medices, ubi tu vestigia fraudis  
 300 sustuleris priscae, nobis quae pauca supersunt,  
 301 sponte sua fruges nobis dabit optima tellus  
 302 cunctaque divini tum flumina nectaris ibunt.  
 303 Non abitura iterum terras Astraea reviset ;  
 304 haec apud et sedes te condet amica supremas ;  
 305 stabit in erecto viridi de marmore templo  
 306 quod tu condideris : sic aurea saecula redibunt,  
 307 qualia Saturno quondam regnante fuere,  
 308 quaeve sub Augusto fuerant, ubi quaeque maligna  
 309 expulit, et pacem jussit regnare per omnes.  
 310 Hinc quoque Pierides, pulso de fronte timore,  
 311 quam male tristitiam bellis cepere remittent,  
 312 cantabuntque tibi tot carmina sancta merenti  
 313 quot duce sub prisco prisca cecinere poetae.  
 314 Sic tua sunt veluti celeberrima facta per orbem,  
 315 facta Sophocleo bene commemoranda cothurno,  
 316 nomen erit summumque tuum. Tua fama perennis  
 317 inque dies surgens erit haec tua gloria major :  
 318 inde novis, Medices, veterum superabis honores  
 319 astraque sublimi splendentia vertice tanges.

ELEGIA - AD LAURENTIUM MEDICEN VIRUM CLARISSIMUM

C\_7 v.1 Ipse dies medium cursu trajecerat orbem  
 2 tempore quo torret Sirius arva canis,  
 3 cum sitiunt herbae, patula pecus atque sub ulmo  
 4 vitat Apollineas per loca blanda faces,  
 5 cum mihi, quaerenti serpentem fallere somnum,  
 6 surripit atque oculos occupat ille meos.  
 7 Hic, cum per mediam vidissem clara quietem  
 8 sidera Lucifero quae nituere magis,



9       aspexi cupide, sed erant ita juncta nitenti  
 10       corpore, quae fuerant astra benigna duo,  
 11       ut, cum bina foret rutilanti stella decore,  
 12       protinus haec eadem visa sit una mihi,  
 13       non aliter quam cum summo Venus ipsa Tonanti  
 14       jungitur et radios miscet utrimque suos.  
 15       Cum tamen inspicerem quis tam novus unde veniret  
 16       fulgor et huic duplex causa vel una foret,  
 17       cognovi geminam gemina sub imagine formam ;  
 18       ut reor, exstiterat natus hic, ille pater :  
 19       nam Petrus hoc sidus Medices habitabat, at illud  
 20       Cosmus erat Patriae visus habere Pater.  
 21       Ut vidi (quoniam nota mihi major imago  
 22       exstitit, et majus fulsit ab ore decus)  
 23       corrueram, tremulis valui nec sistere plantis :  
 24       sic mihi divinus concutit ossa tremor ;  
 25       sed me, quae fuerat Medici clementia, Cosmus  
 26       hac monet, atque humili sublevat inde solo :  
 27       "Stulte, quid addubitas ? aut nos, meliora secutos  
 28       fata, quid horrescis ? Sit procul iste timor ! "  
 29       Dixit ; et ex oculis nubem rapit inde tuentis  
 30       lumina quae fuerat visa tenere mea.  
 31       Hinc ait : "En, ego sum quem candida jura ferentem  
 32       saepius assueras visere, Nalde, domi.  
 33       Filius hic Petrus est, cui cum mandata dedissem,  
 34       in superos Tusca raptus ab urbe Lares,  
 35       ut patriam coleret, patriam tueretur ab hoste,  
 36       dum Jove cum summo tempero utrumque polum,  
 37       advolat huc citius fatali sorte : parentem  
 38       visendi meme tantus adegit amor.  
 39       Sed quid, Nalde, nepos Laurentius ? Excitat ardor  
 40       hunc meus ut condat nomen in astra suum ? " -  
 41       "Scis bene," respondi," cum candidus aetheris heros  
 42       et sis et noscas quicquid in orbe manet.  
 43       At, si forte cupis de me quoque nosse quod ille  
 44       efficit in terris, id breve, Cosme, feram.  
 45       Pace tua dicam vobis quodcumque daturus  
 46       sum modo, Cosme, tamen, sum, Petre, pace tua ;  
 47       ille regit Tuscosque patres Lydosque Penates  
 48       tam bene, tam facili doctus utrosque via,  
 49       ut, quod vos aliquo quondam faceretis in imo  
 50       Orbe labore duo, nunc agat unus idem,  
 51       unus idem faciat jam nunc sine viribus ullis  
 52       corporis, ingenio nixus id omne suo,  
 53       tam bona prosperitas unde est modo civibus ipsis,  
 54       Tuscos unde manet tam bona prosperitas,  
 55       ut leo Tyrrhenus spatietur ubique solutus  
 56       carceribus quibus hic ante retentus erat,  
 57       innocuusque viros penitus versetur in omnes  
 58       nec quemquam, posita nunc feritate, petat.  
 59       Quin ovis atque lupis ultro venit obvia saevis,  
 60       quemque prius timuit, non timet agna lupum."  
 61       Haec ego ; tum pater arridens : "Quae gaudia verbis  
 62       protinus accipio quantaque, Nalde, tuis !  
 63       Sed tu quid geris in terris ? Quae cura tenet te ?  
 64       Quid facis ? an aliquid, publica res quod habet ? "

65 Hic ego : "Nil equidem facio, nisi vota frequenter  
66 semper ut id maneat quod gerit ipse nepos,  
67 utque ratum fiat tempus vel in omne futurum  
68 civibus ille bonum quod dabit usque suis.  
69 Cetera, Cosme pater, non ulla negotia curo,  
70 securus Musis sacra referre piis ;  
71 saepius unde gravis totiensque invasit egestas  
72 dum me Parnassi per juga raptat amor,  
73 ut, nisi uterque nepos opibus juvasset amicis,  
74 mi nisi vestra domus saepe tulisset opem,  
75 jam nunc hac tristi fatorum sorte perissem,  
76 cogerer ac patrios deseruisse Lares.  
77 Nam quod constituit de me Laurentius olim  
78 (saepe quod ante quidem rettulit ille mihi)  
79 jam nunc in tempus Medicen sapientibus ipsum  
80 consiliis aliud, Cosme, referre puto,  
81 ille dies donec quem cogitat esse futurum  
82 venerit et factis certa sit ansa novis."  
83 Vix ea finieram, cum me gravioribus ille  
84 prospectans oculis talia voce dedit :  
85 "Si nihil est aliud caro quod, amice, nepoti  
86 obstat ne faciat quae facienda putat,  
87 exspectare diem nisi, dent quem fata benignum  
88 quique sit optatis ultima meta tuis,  
89 dicito ne dubitet ; nam Juppiter ipse, jubenti  
90 omnia cui parent, cui mare, terra, polus,  
91 protinus instituit jam tempus ab ordine fati  
92 rebus ut hoc aptum sit modo, Nalde, novis,  
93 utque illos animo quos jam Laurentius acer  
94 concipit accipiat curia Tusca viros.  
95 Hoc duce nam veluti Pisana in moenia Musis  
96 publica jam sedes res dedit ista piis,  
97 ut, quotiens illuc accedere maluit heros,  
98 obvia facta suo sit sua turba patri,  
99 sumptibus utque iterum patriae jubet ille vocari  
100 ad vos quos vobis Attica terra tulit,  
101 scilicet ut fidibus quoque sit qui doctus in urbe  
102 Etrusca Graecis illius acta canat,  
103 sic decet ut patrios vates modo publica cura  
104 adjuvet et sedes comparet his aliquas  
105 hic, ubi, Laurenti, duce te bene cuncta geruntur  
106 publica, consiliis usque gerenda tuis :  
107 nam, cum multa meo jam constituenda nepoti  
108 sint ibi divinis facta canenda modis,  
109 convenit ut, quae jam peraget bene publicus auctor  
110 plurima Tyrrhenis gesta probanda viris,  
111 sint ibi vel plures qui publica quaeque canentes,  
112 Nati, Petre, tui nomen in astra ferant.  
113 Ergo age, dic ne se venturas lentus in horas  
114 differat (en, rebus stant sua fata bonis !)  
115 Plura nec exspectet jam tempora : nam fugit aetas  
116 ocior ac celeri pervolat illa Noto ;  
117 nec se respiciat positum juvenilibus annis,  
118 nec fatum vestro par putet ille suum :  
119 namque nepos, ternae veluti cecinere Sorores,  
120 ut placitum Parcis hoc fuit ante tribus,

121 quattuor hinc poterit Saturni evincere cursus  
122 ac vitae longas exsuperare vices ;  
123 at reliquis brevior sors est, mihi crede, futura :  
124 vos breve per spatium mors cita quosque manet ;  
125 ut, multos si nunc velit exspectare per annos  
126 ut magis hanc facilem praebeat ansa viam,  
127 deficient illi penitus quos doctus honestos  
128 esse cupit, doctis quis favet ille viris.  
129 Neve ullus moveat carum, dic, Nalde, nepotem,  
130 illius aut verbis ducat inesse fidem  
131 qui putet in reliquum posthac rationibus ullis  
132 tempus ad haec melius constituenda dari ;  
133 sed, monitis hominem, graviter solatus amicis  
134 haec agat ipse tamen dicta probanda mea.  
135 Crescit enim virtus caelesti sorte nepotis ;  
136 nunc ea quae genuit stella benigna viget,  
137 cum modo, quae jam tunc, duo sidera summa niterent,  
138 tempore quo lucem coepit inire novam :  
139 nuper enim Titan spargebat lumine terras,  
140 orbis et in medio Juppiter altus erat ;  
141 Herculei subeat ferventia terga Leonis  
142 Cynthius, ut vires augeat inde suas,  
143 Piscis in aetherei Saturnius aede vagatur,  
144 hic ubi, Nalde, Jovi maximus exstet honos.  
145 Siquis at exstiterit qui nunc faciunda negavit  
146 haec sibi quae citius rite gerenda puto,  
147 primus erit, post rem qui talia facta libenter  
148 laudibus inde quidem tollat in astra novis :  
149 tantus honos verbis, tanta est reverentia rebus,  
150 quae gerit egregia doctus ab arte nepos.  
151 Nec secus eveniet quam vos male sumere contra  
152 cum Volaterranos compulit arma furor :  
153 rumor enim vestras vixdum pervenit ad aures  
154 nuper ut in sociis bella moventur agris,  
155 cogitur Etruscus praeconis voce Senatus  
156 cum citus, ut patriae consulat ille suae ;  
157 jamque rogabantur quae sit sententia patres,  
158 qua scelus hoc tantum quisque repellat ope ;  
159 bellaque jam multi multa ratione, sed illa  
160 mensibus exactis suscipienda putant.  
161 Quos tamen inde nepos verbis ita grandibus acer  
162 confutat atque suum cogit inire modum,  
163 decretum ut fieret Medices quodcumque putasset,  
164 quicquid et ingenio censuit ille suo.  
165 Nec mora : militibus cinguntur perfida Tuscis  
166 moenia vel trucibus vix adeunda feris.  
167 Non tamen hinc hostis longa obsidione tenetur,  
168 seque diu longis credidit ille jugis ;  
169 nam bonus innocuos deus adjuvit : omnibus idem  
170 injustis poenas intulit usque graves.  
171 Sic breve per spatium paucis superata diebus,  
172 in Volaterranis oppida celsa cadunt,  
173 atque luunt poenas, sceleris dum quisque nefandi  
174 fit reus atque malos comparat arte dolos.  
175 Gaudia quanta tuli, magnum cum ferre nepotem  
176 hinc ego prospexi longa trophaea domum,

177 cum vidi longos illum ductare triumphos  
 178 ex bello cujus maximus auctor erat,  
 179 ille quod auspiciis Medicum bene gessit et arte  
 180 ut patriam patriae servet ab hoste pater !  
 181 Ergo, velut primi fuerant qui facta frequentes  
 182 laudarunt, fieri quae vetuere prius,  
 183 quilibet eventum postquam videre supremis  
 184 rebus ut hoc melius nil reperire queas,  
 185 sic modo continget : qui facta licentius ante  
 186 carpserit, haec eadem quae probo, Nalde, diu,  
 187 post, ubi quis fructus, quis honos erit inde videbit,  
 188 commoda quot res hinc publica summa feret,  
 189 extollet tandem summa tum laude nepotem.  
 190 Qui tanti fuerit conditor ante boni,  
 191 quique piis sedes dederit quoque vatibus intra  
 192 moenia, ne Musis longius erret honos,  
 193 dic agat haec igitur : putet hinc sibi, Nalde, futurum  
 194 me titulis ut avum, vincat ut ille patrem.  
 195 Nec tamen invidia premimur : nam livor ab omni  
 196 mente quidem superum longius omnis abest ;  
 197 gaudia sed capient tot me, cum forte videbo  
 198 pro Musis Medica quae geret arte nepos,  
 199 ut nihil exstiterit Petri quo maxima proles  
 200 me magis in reliquum, Nalde, juvare queat."  
 201 Dixerat ; et somnus qui me nimis altus habebat  
 202 deserit, atque breves culpo fuisse moras.

ELEGIA IN CLARICEM URSINAM VITA FUNCTAM

- AD CLARISSIMUM LAURENTIUM MEDICEN EIUS VIRUM ATQUE AD PETRUM EIUS FILIUM

C\_8 v.1 Nobilitas alti si nominis esset in omnes  
 2 tuta, nec, heu, fatis subjicienda malis,  
 3 sique pudicitiae tutum decus esset, et atrae  
 4 si morti virtus intemerata foret,  
 5 viveret, heu, fato Clarices rapta severo  
 6 tristitiae causam nec daret illa gravis ;  
 7 florentes natos, florentia pignora mater  
 8 cerneret egregio gaudia ferre patri.  
 9 At modo quod moreris, quot luctus gignis acerbos  
 10 quantaque sunt lacrimis ora rigata novis !  
 11 Namque ubi te norunt morbo graviore parentem  
 12 devictam fato succubuisse gravi,  
 13 exortus subito ferit aurea sidera clamor  
 14 natorum, matri dum pia vota ferunt,  
 15 dumque dolent quod adhuc juvenis decessit ab aura  
 16 vitae, dumque suum rapta quod ante diem.  
 17 Heu, quid nobilitas, clarum quid nomen avorum,  
 18 quid juvat Ursino quod patre nata fores,  
 19 sintque duces plures Ursina e stirpe creati,  
 20 gesta quibus graviter maxima bella prius,  
 21 gesta quibus ducibus vel maxima bella fuere  
 22 ductaque victorum more trophaea domum ?  
 23 Quidve pudicitiam prodest coluisse ? Quid omnes  
 24 vel numeros illi contribuisse juvat ?

25 Quid te virtuti, Clarices, plurima summae  
 26 ante dedisse juvat, dum tibi culta fuit ?  
 27 Quid tibi quod conjunx esset Laurentius, ob quem  
 28 unum perpetuo vivere digna fores ?  
 29 Profuit haud natos te tot genuisse quot uni  
 30 summus honos patriae, gloria, nomen erunt.  
 31 Nobilitatis enim meritis non fata moventur ;  
 32 purpura non regum fata movere potest.  
 33 Imperii fasces, non consulis arma supremi  
 34 Mortis ab insultu nos rapuisse queunt.  
 35 Sis pia facta licet, tamen emoriare necesse est,  
 36 nex tamen a templis in cava busta trahit.  
 37 Nil putat atra dies sanctum, nihil esse pudicum ;  
 38 nullius a meritis tangitur illa bonis.  
 39 Si genus Ursinum, si te neque flexit honestas,  
 40 qua nec in heroum sanguine major erat,  
 41 flectere te potuit Medices Laurentius ille,  
 42 lucida cui cedunt sidera, terra, fretum,  
 43 cuique tuae pariter penitus cessere sorores,  
 44 cedere te cui, Mors, instituisse ferunt !  
 45 Conjugis optatae nam vir cum fata timeret,  
 46 cerneret ac nullam huic jam superesse moram,  
 47 flectere si posset sortes temptavit iniquas,  
 48 si posset Parcas exsuperare graves.  
 49 Ergo dies aderat qua Mors statuisset acerba  
 50 conjugis e medio tollere membra piaae,  
 51 cum citharam sumpsit Medices Laurentius illam  
 52 qua trahit et superos in sua vota deos,  
 53 quaque virum non tam durissima pectora flectit,  
 54 quam ciet infernos, tristia regna, lacus,  
 55 qua movet hunc ipsum cui sunt tria verticis ora  
 56 quique malus triplici latrat ab ore canis.  
 57 Tamque pium Medices, quoniam tam dulce canebat.  
 58 Tamque dabat sanctis carmina sancta modis,  
 59 staret ut intentus numeris resonantibus aer,  
 60 cantibus ac Medicis staret uterque polus,  
 61 nemoque commotas spectaret in arbore frondes,  
 62 nullaque plumosas aura moveret aves ;  
 63 curva suos etiam requierunt flumina cursus  
 64 ut magis ad cantus quaelibet apta forent ;  
 65 inde quidem manes etiam requiesse profundos  
 66 ac cessasse suo quosque labore putant.  
 67 Nam meliora dedit dederat quam priscus Iopas,  
 68 Silenus quondam quam dedit atque senex,  
 69 esset hic edoctus quamvis ab Apolline dextro  
 70 Eurotas quicquid sensit ab arte cani.  
 71 Cesserunt dirae ultrices, ac tristis Erinnyis,  
 72 quae, super ut sontes, saeva flagella gerit ;  
 73 intemerata prius magni violentia fati  
 74 cessit, et a cursu destitit illa suo :  
 75 omnibus horrendos vitae quae inferre timores  
 76 assolet hinc celeri coepit abire fuga ;  
 77 tunc primum vultus posuit tremebunda minaces  
 78 non secus ac summo cederet illa Jovi,  
 79 dumque abit, a precibus nimirum emota pudicis,  
 80 supplicibus verbis talia dicta dedit :

81 "Ergo velim jubeas, Laurenti maxime, quod vis :  
82 haec, quaecumque cupis, nam tibi facta dabo."  
83 Sic ait ; at Medices, vultu quo temperat urbes  
84 Etruscas, vultu quo bene cuncta gerit,  
85 postulat uxori ne vim ferat illa, sed artus  
86 confectos morbo liberet illa gravi.  
87 Quod jubet exsequitur dea saeva, potentibus herbis  
88 permittens redeat qui fuit ante vigor.  
89 Quae cum facta videt Laurentius, acer ab urbe  
90 concedens curis libera corda gerit :  
91 laetior efficitur penitus quod victor abisset  
92 quodque sua fatum succubisset ope.  
93 Quod fieri postquam persensit ab aethere summo  
94 Juppiter ac superis plus potuisse viros,  
95 indignans factum, magnos vocat undique divos  
96 ut bene quisque Jovi consuluisse queat :  
97 "Quis, rogo, vir, nobis qui plus potuisse videtur,  
98 jactitat et supero plus dare posse Jove ?  
99 Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus  
100 Threicia recinens carmina blanda lyra,  
101 concessum semel hoc fuerat, fidibusque canoris  
102 concessum nato, Calliopea, tuo.  
103 At si dem Medici semel hoc, quod Thracius Orpheus  
104 obtinuit, conjunx a Styge ut alta petat,  
105 non semel hoc Medices cupiat Laurentius ipsum,  
106 at sibi concedi talia saepe volet :  
107 nam quanto meritis superat gravioribus acrem,  
108 Orphea, qui Medicum nomen in astra tulit,  
109 saepius hoc Medices volet atque frequentius illud  
110 quod semel a fatis Orpheus ante tulit,  
111 saepius atque alios imo revocabit ab orbe,  
112 uxorem praeter, a Styge qui redeant.  
113 Ergo, ne pereat fati gravis ordo, videndum  
114 est mihi ne plus vir quam deus inde queat."  
115 Haec ait ; at Medices, quo nec sapientior alter,  
116 noluit ista dari quae vetat ipse deus,  
117 deque suo statuit pius ille remittere jure,  
118 et quod promissum sit fore velle negat :  
119 et vetat, et Morti, superos ne peccet in ipsos,  
120 mandat ut officio functa sit illa suo.  
121 Quae licet et magni Medicis mandata teneret,  
122 sciret et hunc ipsum velle quod illa cupit,  
123 haec tamen Ursinam matrem titubanter adivit,  
124 ter prius offenso sustulit atque pede :  
125 tanta quidem gravitas, tanta est reverentia sacri  
126 numinis in Medicis quod sedet ore viri.  
127 Ergo, ubi quae reliquis florentia membra fuere  
128 omnibus et vita digna fuere magis,  
129 cernuntur maculis infecta nigrantibus atrae  
130 mortis et horribili membra referta situ,  
131 omnia quam primum luctu miscentur amaro,  
132 complentur querulis atria longa sonis ;  
133 maestaque tum stabat sparsis a fronte capillis  
134 filia quo matri debita justa ferat.  
135 Quilibet e natis lacrimas fundebat acerbas  
136 saepe ferens : "Quid nos, pignora cara, fugis ?

137 Heu, quid et ante diem tam nos, tua viscera, parvos  
 138 deseris ? Heu, nobis unde juvamen erit ?  
 139 Quae nos complexu, quae nos refovebit et ore ?  
 140 Quae sit delicias exhibitura tuas ?  
 141 Dicemus patri quid nos, ubi forte redibit,  
 142 quantaque tunc dabimus verba dolenda nimis ?  
 143 Fundemus maesto quas, mater, ab ore querelas,  
 144 tristitiaequae pater qualia signa dabit,  
 145 inveniet nusquam cum te, quae sola laborem  
 146 curarumque fores portus et aura sibi ? "  
 147 Rettulit hos natus puerili e pectore questus,  
 148 ipsa quidem parvo cui pia mater eras :  
 149 at Petrus, egregio cui grandius ore sonandum  
 150 musa dedit carmen, pulcher Apollo chelyn,  
 151 cui dedit et Graios vati recludere fontes,  
 152 cui dedit et Latios posse referre modos,  
 153 materno miscens laudantia verba dolore  
 154 non tacito patitur te siluisse pede,  
 155 sed matri cecinit tot carmina sancta merenti  
 156 Clarici laudes tot dedit atque novas,  
 157 quot neque Calliopae matri dedit Orpheus ante,  
 158 quotque patri doctus non dedit ante Linus,  
 159 ut, tua dum Petri celebrantur carmine nati  
 160 funera, dumque nigris te rapit ille rogis,  
 161 laudibus ac dum te Claricem a morte redemit  
 162 versibus ac nomen duxit in astra tuum,  
 163 viva quidem Petri videaris munere nati,  
 164 vivaque divini munere facta viri.

ELEGIA - IN MICHAELEM VERINUM IUVENEM CLARISSIMUM, MULTO ANTE DIEM VITA

C\_9 v.1 Quae, rogo, Pierides, vos inclementia cepit,  
 2 in vestros vester quove recessit amor ?  
 3 Sicne parum tegitis quem vos aluistis ut atrae  
 4 tam cito sit factus praeda petita neci ?  
 5 Michael, ecce, jacet, Musis ita factus amicus  
 6 vitavisse nigros posset ut inde rogos.  
 7 Vitavisse vices fati gravioris acerbas  
 8 deberet meritis tempus in omne suis ;  
 9 evenit at contra : nam qui fore semper in aevum  
 10 debuit incolumis funere raptus abit,  
 11 raptus ob invidiam, ne saecula nostra viderent  
 12 qualem prisca virum vix habuere prius.  
 13 Quod si saeva suum servabant fata tenorem  
 14 semper ut e medio vel meliora ferant,  
 15 debuit optatam saltem spectare senectam,  
 16 tam tener iste suum ne cadat ante diem :  
 17 namque tribus lustris binos vix addidit annos,  
 18 vix paucos menses livida Parca dabat,  
 19 cum puer, ah, nimium primo miser excidit aevo,  
 20 limine de vitae dum rapit atra dies.  
 21 Saepe quid aetatem numeras meritumque recenses ?  
 22 Irrita quae loqueris Mors inimica facit.  
 23 Nil juvat in sacro quod sis Helicone creatus

24 de patre cui citharam pulcher Apollo dedit  
 25 qua vel adhuc juvenis teneros bene lusit amores,  
 26 qua cecinit Galli maxima gesta ducis.  
 27 Nil juvat e Graiis quod plurima fontibus hausta  
 28 sumpseris et linguas noveris inde duas.  
 29 Scire velim tibi quid prosint modo carmina, cunctis  
 30 digna legi, tenero quae canis ore puer !  
 31 Quod si Musa nequit te defendisse cadentem,  
 32 cedere quod fato cogitur illa gravi,  
 33 debuerant sancti penitus defendere mores,  
 34 debuit imprimis casta pudicitia,  
 35 quam, Verine, novo sic es veneratus honore,  
 36 hac ut censueris nunc sine velle mori :  
 37 namque, puer, suavem mavis deponere vitam  
 38 quam solvas ea quae jura pudoris erant :  
 39 nam, medici cuperent cum consuluisse petenti  
 40 pharmaca quo febris membra levata forent,  
 41 "Dulcia," dixerunt, "Veneris si vincula norit  
 42 iste, gravis morbi peste solutus erit."  
 43 Haec ubi dicta tuas nimis accipis aeger in aures,  
 44 abnuis et votis stas velut ante piis.  
 45 Inde cadis moriens : quis non crudelia damnet  
 46 astra, vel in superos dicat acerba deos ?  
 47 Quo melior, Verinus, eras, quo doctior inter  
 48 Etruscos, quanto castior unus eras,  
 49 Hoc mage debuerant te sustinuisse cadentem  
 50 caelestes ne sis facta rapina neci,  
 51 ne quod ab invidia crimen pia turba deorum  
 52 contrahat, immeritum dum sinit, ecce, rapi,  
 53 dum patitur quod erat sanctum magis omnibus unum  
 54 tristibus a fatiis in cava busta trahi.  
 55 Quid miser implorem ? Quid opem prodesse putemus  
 56 humanam, superi si dare posse negant ?  
 57 Quid nisi perpetuo luctu miser ora resolvam,  
 58 nullus ut, heu, lacrimis posset adesse modus,  
 59 si doctrina tibi, virtus, probitasque, nec ulla  
 60 prosit ut a fatiis tuta sit illa malis ?  
 61 Et jam tempus erat, jam lamentabilis hora,  
 62 Michael infelix, qua periturus abis :  
 63 astiterant Arnus nutrix quascumque sub undis,  
 64 Chaianus quas mons, Ambraque casta tenet ;  
 65 Pieris imprimis venit huc simul omnis, et una  
 66 purpureum roseo qui vehit axe diem ;  
 67 atque ibi consilium capiunt, an saeva moveri  
 68 fata queant cursu quem tenuere suo,  
 69 ex quo principium deus et natura dederunt  
 70 rebus, et incepta est jam nova terra coli ;  
 71 ast ubi tam precibus durissima numina castis  
 72 perspiciunt nullis flectere posse modis,  
 73 protinus in lacrimas se profudere dolentes  
 74 protinus in luctus hinc cecidere novos ;  
 75 sed gravius, Cyrrhae vos quae juga summa tenetis,  
 76 omnibus hinc aliis indoluisse ferunt.  
 77 E quarum numero, pueri cui cura tuendi  
 78 est data jam, tristes protulit ore sonos :  
 79 "Michael, heu quis te casus mihi saevus ademit ?



80 In te quid tantum Mors scelus ausa ruit ?  
81 Cum mihi nascentem dederat te turba sororum  
82 ut caperem curas ne tibi quid noceat,  
83 tutus at incoleres antrum fontesque sacratos  
84 unde Maro sitiens saepius ante bibit,  
85 eventura tibi certe mala nulla timebam :  
86 exstitit at summi spes mihi summa boni.  
87 Quam male decipior ! Quam me mea cura fefellit !  
88 Spes mea seu quantum versa timoris habet !  
89 Non ego crediderim tibi sic mea sacra colenti  
90 inferret nigras Parca maligna manus,  
91 praesertim cum sis ita nos imitatus et omnes  
92 duxeris hinc Musas in tua vota pias,  
93 ut jam mortales habitus moribundaque membra  
94 exueres, factus par similisque mihi.  
95 Fallor at, heu, nimium votis confisa caducis,  
96 dum puto quod fieri fata severa negant,  
97 quae pater omnipotens, nutu licet omnia possit,  
98 non valet e cursu vertere dura gravi.  
99 Quod tua si ternae truncarunt fila sorores,  
100 atque juvat plenas sic lacerasse colos,  
101 si quoque ne fieres tristissima causa fuerunt,  
102 ut volui, vates primus in urbe tua,  
103 obstarunt si ne potiaris honoribus amplis  
104 Patria quos justis fortibus ante dedit,  
105 Michael, hoc poterunt non impediisse quod instat,  
106 nec poterit famae Parca nocere tuae,  
107 laudibus officietque tuis non ipsa vetustas,  
108 tempus in aeternum nec revoluta dies.  
109 Plures namque viri qui Phoebos digna loquuntur  
110 curabunt nomen tollere in astra tuum :  
111 nam qui Parthenopes urbem coluere vetustam  
112 te numeris referent tempus in omne bonis.  
113 Te canet Hesperius vates Latiusque poeta,  
114 quisquis et in Tusca claruit urbe magis  
115 hique dabunt maesto solacia magna parenti,  
116 teque nigris rapiunt quilibet inde rogis ;  
117 sed tamen ex illis qui plus tibi nominis alti  
118 afferet et laudi plus dabit usque tuae,  
119 hic est ille novus Medices Laurentius heros,  
120 Itala quem tellus est venerata patrem,  
121 Regibus et magnis ducibusque petentibus auctor  
122 responsum certus qui dedit atque dabit.  
123 Hunc ego Castalias docui bene semper ad undas  
124 carmen Apollinea concinuisse lyra.  
125 Hic te cum sapiens fuerit miratus et ingens,  
126 Michael, ingenium duxerit esse tuum,  
127 noverit atque, foret propria haec si dona fuissent,  
128 in patriam per te quam cumulandus honor,  
129 carmine te sacro dignabitur ille cadentem  
130 ferre per Ausonias (Itala regna) domos,  
131 cujus ab ore fluunt ita dulcia verba canentis,  
132 deque suis numeris gratia tanta venit  
133 ut te jam possit magis effecisse beatum  
134 dum moreris quam cum vita superstes erit,  
135 felicemque magis faciat, dum mortuus umbras

136 cernis et infernos (visa tremenda) lacus,  
 137 quam si vixisses vitam, mihi crede, refertam  
 138 omnibus his tibi quae fors cumulata dedit.  
 139 Ergo modum lacrimis opus est jam ponere nostris,  
 140 per Medicen quoniam vivis, amice, magis.  
 141 Illius aeternum dum carmina sancta legentur,  
 142 quae bonus in nomen mox canet ipse tuum,  
 143 vivis item melius, cum jam purgeris ab omni  
 144 labe tibi corpus quam dedit ante gravem,  
 145 ut Medicis laus haec in te divina putetur  
 146 conveniens tanto nunc magis esse tibi,  
 147 conveniens tanto magis haec videatur habenda  
 148 esse tibi quanto purior est animus ;  
 149 est divina quidem laus haec, divinus et ille  
 150 est animus, modo qui purus in astra redit."  
 151 Haec tibi Musa dedit, dum fundit ab ore querelas,  
 152 carmina ; nos eadem scripsimus, ecce, tibi.  
 153 Addimus ista duo tua quae monimenta notabunt  
 154 et quae sint urna saepe legenda tua :  
 155 "Michael hic puer est, quem ni mala fata tulissent,  
 156 tam doctum potuit vel superare patrem."

ELEGIA - IN GALEACTIUM, ILLUSTRISISSIMUM MEDIOLANENSEM PRINCIPEM  
 AD BONAM, UXOREM EIUS ILLUSTRISISSIMAM

C\_10 v.1 Parcite, mortales, regnum quicumque tenetis,  
 2 Fortunae miseras non timuisse vices ;  
 3 parcite tam tristis vos fidere flatibus aerae  
 4 aut bona tam saevae credere vestra deae !  
 5 Fortuna levius nihil est ; velocior Euris,  
 6 nam movet haec celeres semper iniqua rotas ;  
 7 haec eadem citius dicto solet infima summis  
 8 rebus et haec imis vertere summa solet ;  
 9 haec humiles tollit summa ad fastigia rerum,  
 10 deprimit haec summos rursus ad ima viros.  
 11 Non levius venti spatium per inane feruntur  
 12 cum Boreas madidis aera purgat aquis,  
 13 siquando velit illa vices agitare superbas,  
 14 si velit imperio vertere cuncta gravi,  
 15 ut, quicumque canit sphaerae velut illa globosae  
 16 haereat et summo stet super illa pede  
 17 aut quicumque leves illi quoque tradidit alas  
 18 ferreque temones dixit utraque manu  
 19 se quibus aethereas librans moderetur in auras  
 20 aera dum facili pondere vecta secat,  
 21 hunc miras habuisse manus mirumque per artem  
 22 protinus ingenium miraque verba putem,  
 23 cum queat instabili quicquid levitatis inhaeret  
 24 Fortunae inventis explicuisse suis.  
 25 Nec tamen haec, levior cum sit, caret inde feroci  
 26 crimine, crudelis nec sibi nomen abest :  
 27 illa viros quotiens jugulum dare saeva coegit,  
 28 duraque nec meritas vincula ferre manus !  
 29 Illa quidem reges exstinxit vulnere crudo,

30 vertit et imperio regna subacta suo.  
 31 Caesaris exstiterat dux haec male fida ruentis  
 32 impia dum miseros traxit in arma patres.  
 33 Illa gravem Priamo suadens ut pugnet in hostem  
 34 indigno magnum sustulit ense caput.  
 35 Quid referam Macedum regem velut acta furore  
 36 perdendum socio praebuit illa viro ?  
 37 An rex Peliacus, manibus praereptus amicis,  
 38 non subiit mortis fata severa suae ?  
 39 Pro, scelus ! haec eadem nuper fortuna cadentem  
 40 vulnere Bebriacum sustulit ecce Ducem  
 41 tam subito casu nihil ut minus ille timeret  
 42 florenti mortem quam sibi posse dari.  
 43 Sed spes incautum juvenem miserumque fefellit,  
 44 fecit et in tuto quaeque timenda loco :  
 45 nam medio templi, populo faciente coronam  
 46 dum fierent summo sacra pianda deo,  
 47 (pro, scelus indignum !) fidam dum fingit ad aurem  
 48 perfidus ille quidem verba tacenda loqui,  
 49 ecce, petit dominum sica quam tectus habebat,  
 50 ut triplici caderet vulnere fossus humi,  
 51 ut stupidus fieret populus dum regia cernit  
 52 maestus ab indigna pectora caesa manu.  
 53 Nec timuit proceres quibus ille fidelibus esset  
 54 usus, et ingenio semper et arte bonis ;  
 55 nec metuit populum dum sacra colente magistro  
 56 antistes manibus continet illa piis ;  
 57 est majestatem veritus neque principis idem  
 58 dum parat, heu, sanctis urere thura focis ;  
 59 denique non oculis mortem quam forte videbat  
 60 horruit, inde dari quam sibi certus erat :  
 61 sic Fortuna virum Furiis agitaverat atris,  
 62 perderet ut tantum diva superba Ducem.  
 63 Nec satis est stimulis hunc incendisse furentem,  
 64 ni conjuratos addat iniqua duos,  
 65 a tergo foderent gladiis qui rursus acutis  
 66 Principis infesta terga secanda manu.  
 67 Quis dolor, heu, proceres tenuit dum quisque videbat  
 68 Principis in medio frigida membra solo !  
 69 Heu, quos clamores populus fundebat inanes  
 70 dum dolor, heu, lacrimas cogit inire graves !  
 71 Hinc stupet, aspectuque haeret defixus, et amens  
 72 vix ea quae cernit vera fuisse putat,  
 73 sed licet ipsius facies foret urbis in omnes  
 74 maesta, nec a lacrimis aforet illa piis,  
 75 conjugis ista Bonae, dum fundit ab ore querelas,  
 76 plena dolore magis verba fuere tamen :  
 77 "Quod mihi te fatum rapit, illustrissime conjunx,  
 78 invidet aut quae te stella maligna mihi ?  
 79 Te duce quae fueram felix modo dicta per orbem,  
 80 protinus infelix te sine facta queror.  
 81 Quid me Gallorum quod sim de sanguine regum  
 82 orta juvat ? Sine te nam juvat inde nihil.  
 83 Heu, quis non clamet, quis non crudelia dicat  
 84 astra, quit aut tantis temperet a lacrimis,  
 85 cum domini videat frigentia membra perempti

86           atque datum nigris corpus inane rogis ?  
 87    Quis ferat, heu, si vulneribus, fera Parca, supremum  
 88           es modo tam crudis ausa necare Ducem ?  
 89    Quid fieri non posse putem, si maximus, heu, qui  
 90           nunc erat effuso sanguine tingat humum ?  
 91    Nec fuit indignum vos, impia fata, nefandis  
 92           conjugis ora pii sic temerasse modis ?  
 93    O, tantum spatiique datum mihi forte fuisset  
 94           Fortunae ut possem vulnera saeva pati !  
 95    At mihi tam subitus casus, tam tristis et atrox,  
 96           te rapit ut prope sim nescia facta mei.  
 97    Dum stupeo, vereor subitis ne exterrita monstris  
 98           ut Niobe fiam nunc ego dura silex.  
 99    Inter spemque metum dubito seu vivere credam  
 100           te modo, seu fato succubuisse gravi.  
 101    Vix oculis possum suadere miserrima nostris  
 102           tam cito te, Princeps, ut cecidisse putent,  
 103    cum modo conspicerent te, quo florentior alter  
 104           non fuit, in tantis regna tenere bonis.  
 105    Non ego fortunam muto neque tristia fata,  
 106           terminus is vitae si tibi dandus erat ;  
 107    te vis ne raperet volui, sed febris inhaerens  
 108           inque novem saltem continuata dies,  
 109    dum me tale meum docuisset ferre dolorem  
 110           tempus et ut nossem tristia quaeque pati.  
 111    At modo tam subitusque furor te sustulit aut nex  
 112           tam cita ne possim consuluisse mihi.  
 113    Quid tot nunc equitum turmae peditesque cadentem,  
 114           hei mihi, te, conjunx tam mihi culte, juvant ?  
 115    Quid tibi nunc prosunt, Princeps, tot regna, tot urbes,  
 116           Gallia quodque ingens paruit ante tibi ?  
 117    Quid tibi quod pater ante fuit Franciscus in armis  
 118           Sfortia vel bellis tam bonus ille novis  
 119    ut neque dum pugnasque ciet, dum castra suburget,  
 120           dumque gravi fortes conserit hoste manus,  
 121    pugnando caderet victusque miserque subiret  
 122           supplicis externas more subactus opes,  
 123    invictus quoniam tulit e certamine palmas  
 124           semper et hostili caede cruentus erat ?  
 125    Hunc adeo, Fortuna, patrem timuisse supremum  
 126           debueras, manibus saepe repulsa suis,  
 127    ut neque sic magnum scelerato vulnere natum  
 128           perdere tam juvenem saevior ausa fores.  
 129    Quid memorem Cosmum Medicen Cosmique nepotes,  
 130           vir quibus ingenti junctus amore fuit ?  
 131    Hic ita cum Tuscis esset sapientior unus,  
 132           dum Medica patrias temperat arte domos,  
 133    ut, dea, te victam penitus superasse feratur  
 134           inque tuas Medices vincla tulisse manus,  
 135    hunc ita debebas cunctos venerarier annos,  
 136           vir meus ut socio cultus honore foret.  
 137    At nihil est tutum fatis : fortuna tenorem  
 138           acriter, heu, sequitur semper acerba suum.  
 139    Sed tamen usque tuis manibus licet omnia veritas  
 140           sintque vel arbitrio quaeque ruenda tuo  
 141           (pro, scelus !) ac tanto privaveris inde marito

142 me modo dum sanctos, heu, colit ille deos,  
 143 non facies ut fama viri, Fors diva, perempti  
 144 in tantis pereat, diva superba, malis :  
 145 nam, dum Bebriacis populis, sanctissime conjunx,  
 146 civibus atque meis jura petita dabo,  
 147 te duce cuncta geram : tua nam mihi semper imago  
 148 ante oculos stabit rite colenda meos.  
 149 Hanc ego dum vivam semper venerabor, ut ante,  
 150 candidior mecum dum tibi vita fuit,  
 151 ut, quamvis aliis fors invidiosa cadentem  
 152 te tulerit, tanti causa maligna mali,  
 153 mortuus aut reliquis modo sis, clarissime conjunx,  
 154 et tua sint nigro jam data busta rogo,  
 155 Tu Galeaze, tamen, cultus velut ante solebas  
 156 semper honore pio, tu mihi vivus eris."

EPISTULA HEROIS - ALPHONSINA PETRO MEDICI

C\_11 v.1 Alphonsina dari petit hanc sibi, Petre, salutem,  
 2 quam, nisi tu venias, nemo dedisse queat.  
 3 Cum tibi juncta fui, nostras pervenit ad aures  
 4 rumor ut optares visere qualis eram,  
 5 utque meo cuperes circum dare bracchia collo,  
 6 accipere ut cuperes oscula, ut apta dare.  
 7 Nunc visam refugis, conjunx, visamque recusas !  
 8 Cur, nisi quod videor te tibi digna parum ?  
 9 Certe, ubi vidisti, me sic laudare solebas  
 10 jurares ut me pulchrius esse nihil ;  
 11 lumina laudabas nitido certantia Phoebo  
 12 atque oculos natos in tua vota meos ;  
 13 laudabas niveasque genas faciemque decoram  
 14 labraque purpureis aequiperanda rosis,  
 15 collaque dicebas humeris exstantia nostris  
 16 pectoraque intacta candidiora nive ;  
 17 laudabas dentes etiam miratus eburnos  
 18 utque pari constant ordine utrimque pares.  
 19 Quin, mea visa manus quam sit tibi pulchra referrem  
 20 ni verear laudes ponere inepta meas.  
 21 O, quotiens longas noctes remoratus es in me  
 22 spectanda et longos jam, vir amate, dies !  
 23 Ah, quotiens somnos stellae suasere cadentes  
 24 atque graves oculos repserat alta quies !  
 25 In roseis quotiens surgebat lutea bigis  
 26 Aurora ut superos expetat axe polos !  
 27 Cum vigil usque meas pergis dimittere in aures  
 28 verba quibus faceres mitia corda feris,  
 29 verba quibus miseram me tunc ita reddis amantem,  
 30 nulla sit ut morbi jam medicina mei !  
 31 Haec dum continuas, cum jam gravioribus alis  
 32 adveniens peteret lumina fessa sopor,  
 33 a me non suaves poterant te vellere amici,  
 34 non soror, atque tibi tam veneranda parens,  
 35 non citius princeps, in te licet omnia possit,  
 36 compulit optatos deseruisse sinus.

37 Pontificis summi necnon haud mollia jussa,  
38 cum grave quid voluit forte referre tibi,  
39 aspectu nequeunt quoquam divellere nostro,  
40 conjugē neve sinunt te procul ire tua.  
41 Haec ita cum faceres aut cum dicentis ab ore  
42 talibus audirem verba relata sonis,  
43 constantem in nostro te rebar amore futurum,  
44 te mihi perpetuum rebar adesse virum,  
45 posse nec inde tibi quicquam cecidisse putabam  
46 tam grave quo fierem destituenda tibi,  
47 non tibi si pretium vel Persica regna darentur,  
48 miscenda Etruscis Persica regna tuis,  
49 non tibi si quae nunc Florentia mater habetur  
50 te vocet imperio crescat ut illa tuo :  
51 nam fore dicebas Tiberina ut flumina fontem  
52 ante petant, ego quam sim tibi facta levis !  
53 Nunc ubi sancta fides, qua linq̄ere posse negabas  
54 me, tibi si Darii conduplicentur opes ?  
55 Dicere quin memini, si quis te causa Etrusca  
56 cogeret invitum forte redire domos :  
57 "Conjuge non horam possem spirare relicta ;  
58 hac sine nec vitae consuluisse queam ! "  
59 Tu tamen hinc abiens miseram me linq̄is amantem  
60 tam cito ne possim tam grave ferre jugum,  
61 tam cito ne mediter quae sit medicina furori  
62 danda meo nec quae pharmaca danda putem.  
63 Nec tenet Ursino quod sim de sanguine creta,  
64 unde tot egregii prosiluerē duces ;  
65 nec tenet aut regum quod sum nutrita sub aula  
66 auspiciis quorum stat pia Parthenope.  
67 O, saltem spatii tantum mihi, Petre, dedisses  
68 ne mihi discessus tam gravis iste foret,  
69 discere quo possem, quod non tamen esse futurum  
70 credideram, sine te tempora dura pati,  
71 nam - grave praeceptum - si grandis epistula venit  
72 de patre, qui Tuscas temperat arte domos,  
73 ut statuas rediens patrias invisere sedes  
74 utque velis Medicos jam repetisse Lares,  
75 consilium laudo, quoniam parere necesse est  
76 non homines tantum cui placuisse velint  
77 sed cui jam toto quae splendent sidera caelo,  
78 sed cui jam tellus paret et unda maris.  
79 Hinc tamen optassem tunc, Petre, modestius isse :  
80 dixisses subitae quae tibi causa fugae ;  
81 nam, fatale fuit si te procul ire relicta  
82 conjugē, si fati numina fixa manent,  
83 duxisses tecum me ; spem, velut ante, dedisti :  
84 hoc mihi quam volui rite tulisset opem.  
85 Hoc potuit tanto solacia ferre dolori  
86 atque modum lacrimis imposuisse meis  
87 in quibus, heu, versor : nil me juvat aula parentum  
88 ampla nec Ursini nominis alta domus ;  
89 solantur non me Latiae - pia turba - puellae,  
90 nec mea solatur, maxima cura, parens,  
91 neve Maria bonis solatur regia verbis  
92 haec te discipulum quae vocat usque suum

93 et tibi quae fuerat, dum me petis, ante magistra  
94 sis ut in uxorem ne rudis inde tuam ;  
95 patria nec, quamquam rerum caput exstitit olim  
96 orbis et imperiis illa potita fuit,  
97 non tamen ipsa queat nostrum lenire dolorem  
98 te propter capio quem, vir amate, gravem :  
99 nam, licet admonitus cuncti meditemur honestos,  
100 nil tamen effectus verba monentis habent.  
101 Omnibus his, conjunx, potes esse salubrior unus ;  
102 vocibus his reliquis vox tua plura feret,  
103 omnibus aspectusque tuus mihi gratior unus :  
104 tu mihi cunctorum pondus et instar eris.  
105 Ergo redire velis, Medices, ita, Petre, rogamus  
106 ut magis ex animo nil petiisse queam :  
107 nam me laetitiae statues, vir amate, priori ;  
108 corde meo cedit qui fuit ante metus.  
109 Nam tuus adventus sic quae mihi maesta fuere  
110 in nova convertet gaudia, crede mihi,  
111 ut magis aspicias homines mihi rursus ovantes  
112 quam maesti fuerint dum mihi lentus abes :  
113 tristia nam veluti te discendente fuerunt  
114 omnia, de lacrimis tristia facta meis,  
115 mutabunt faciem te sic redeunte priorem  
116 ut tibi laetitiae maxima signa ferant,  
117 non aliter quam cum maternam invisit Apollo  
118 Delon et arva suo numine laeta facit.  
119 Ut sine te Latiam squalebant cuncta per urbem,  
120 omnis ager veluti te sine maestus erat,  
121 sic, tu Romanos repetes ubi, Petre, Quirites  
122 inque meos referes te, vir amate, sinus,  
123 depictae variis ridebunt floribus herbae,  
124 terraque abundantes fundet in arva fruges,  
125 arboribusque comae quae jam cecidere virebunt,  
126 cumque nova proprius fronde redibit honor ;  
127 flumina quae fuerant graviori exhausta dolore  
128 decurrent undis turgidiora novis.  
129 In viridi quae jam latuerunt Tibridis alveo  
130 advenient Nymphae, turba jocosa, tibi,  
131 quaelibet ac placidos extollet in aera saltus,  
132 laetior adventu reddita, Petre, tuo.  
133 Obvius adveniet Romanae conditor urbis  
134 te patribus similem cernat ut esse suis,  
135 cernat ut esse tibi duo quae Romanus habebat,  
136 fortior ut reliquis, doctior utque foret,  
137 ut quae gessisset patriis robustus in armis  
138 scriberet ingenio facta notanda gravi.  
139 Hinc aderunt Graiaequae tibi Latiaequae Camenae,  
140 illud idem ut sis quod Caesar et ante fuit,  
141 cum spes et ratio studiorum in Caesare tantum  
142 sic fuit ut Misis portus et aura foret.  
143 Quin ego, quae tristis te sic cedente fuisset  
144 esset ut in Latia tristius urbe nihil,  
145 omnibus efficiar tanto tibi laetior una,  
146 omnibus existam blandior una tibi,  
147 omnibus et reliquis quanto mihi carior unus,  
148 omnibus atque magis semper amatus eris.

## ELEGUM CARMEN - AD ERUDITISSIMUM PETRUM MEDICEN LAURENTII FILIUM

C\_12 v.1 Carmina, quod, Medices, nimium puer ipse fuisses,  
2 cum minus exstiterint cognita nostra tibi,  
3 tunc ubi Juliani patruī narravimus olim  
4 quanta fuit virtus, robora quanta tui,  
5 hastatorum equitum quo tempore venit in agmen  
6 usque adeo fortis, victor ut inde foret,  
7 ut foret, utque Italas repletet nomine gentes  
8 quod parit, in pugnas dum ruit ille graves  
9 dumque domum Medicam celebrem tot honoribus amplis  
10 strenuus astriferos tollit ad usque polos,  
11 jam pridem Latio quae sunt mihi condita versu,  
12 iudicio mitto nunc moderanda tuo,  
13 tu modo, cum doctos non tam superare Latinos  
14 vincere sed Graios det tibi Musa volens,  
15 aspicias utrum quae scripsimus ante videntur  
16 digna legi numeris edita sintque bonis :  
17 legeris ut, Medices, cum maxima facta tuorum  
18 illa quidem nostris, Petre, notata modis,  
19 hinc sumpsisse queas exempla domestica rebus  
20 abs te posse geri quas pia fata dabunt,  
21 atque ea quae facies possis memorare canendo  
22 inde prior vates factus in urbe tua,  
23 Julius ut Caesar quae fecit et illa notavit,  
24 ut quae pugnasset scriberet una manus,  
25 gloria nulla quod hac major videatur habenda  
26 quam peperere simul robur et ingenium.